ELEGUS

In Obitum

HEROINÆ NOBILISSIMÆ PIENTISSIMÆQUE

ANNÆ

Comitiſſæ de Briſtol, Filiæ natu maximæ ter Honorabilis Franciſci Comitis de Bedford; Uxoris ter Honorabilis Johannis Comitis de Briſhol: Sororis Gratiæ Ducis de Bedford: Matris Nobiliſſimæ Comitiſſimæ de Sunderland, &c. *Quæ ex hac vita emigravit* Jan. 26. 1696. *& honorifice ſepulta fuit in Sacello Eccleſiæ Parochialis de* Chenie, *in Comitatu de Hartford, in Dormitorio ſubterraneo Ruſſellorum Proprio.*

LUX tua *ſplendeſcat* latum, Generoſa, per Orbem:
Nec veſtram condat Mors *tenebroſa Diem.*
Fax tua *virtutum Solis* ſplendeſcat ad inſtar,
Occidui cujus lumina mundus habet.
Facta quidem tua jam poſt funera clara *refulgent:*
Nec perit extemplo, *Sole* cadente, *dies.*
Nam tibi contigerat *virtutum* * *maxima,* quæq;
Crimina peccantum plurima condit, *Amor.*
Junctus Amor *fidei*: Tua *fax exarſit* Amoris,
Quam non *extinxit* flamma ſuprema *Rogi.*
Solis enim nunquam *fax* eſt *extincta Cadentis:*
Aſtrigeris ſemper *fulgidus* ille Polis.
Sic Te diverſus mundi tenet Orbis ademptam:
In ſummo fulges, *Stella ſerena,* Polo.

* Charitas.

Phoſphore

Phoſphore clare, cadis: ſed te tenet alter *Horiſon:*
In tumulo tantum molliter oſſa jacent.
Ponamus gemitus & ſingultantia verba:
Quæ jacet, Aſtrigeros poſſidet illa Polos.
Cognati, *luctus* inſignia ponite veſtes
Funebres: Illam † *candida Palla* tegit.
Subdita, dum *vixit*: ſed Coelo *mortua regnat*:
Illius exornat jam * *Diadema* caput.
Et mundum & carnem ſuperavit Foemina *victrix*:
In Coelis † *Palmæ* fronde decora ſedet.
Inter Coelicolas lætos canit illa *Triumphos*:
Debilis Inferni vicerat illa Deum.
Jamq; pias, moeſti, *lachrymas*, cohibete, minores:
Illius * abſterſa eſt quælibet *unda* genis.
Jamq; novum Stellis fulgentibus additur *Aſtrum*:
Ut *Stella*, in Coelos dirigit illa viam.
Illius ergo Facem tuti ſpeculemur, ut Arcton.
Dum petat Æthereum noſtra Carina Polum
Coelicolis ſocia eſt, & ſanctis jam fruitur Dis:
Cantat & hymnidicis Foemina juncta Choris.
Vaſtaq; dum veſtras reſonabunt laudibus ampli
Curvatura Poli, Coeruleæque Domus:
Nos humili veſtros celebramus carmine mores:
Et cantat laudes *Terra Poluſque* tuas.
Ipſa *ſepulta* jaces: virtus tua pulvere floret..
Porrigis & larga *Mortua* dona Manu.
Nobilis horrenti tunicam dedit: Altera Dorcas
Illa fuit: Dorcas Illa reſurget humo.
Semper odoriferam *redolebunt* Nomia Nardum,
Quam nunquam poterit longa *abolere* Dies.
Spargamus Tumulum Matronæ *flore Cadentis.*
Suavius at *violis Fama* Cadentis olet.
Pauperibus bona multo dedit dum *vixerat* Illa:
Illius hæc eadem cura *Cadentis* erat.

Munera

Munera non Ceſſant: poſt *Mortem* dona vireſcunt.
Virtutis non *Mors* ultima meta fuit.
Diſpenſatori † Primati plurima Mandat
Pauperibus Fida diſtribuenda manu.
Virtutes Dominæ vincunt ſplendore *Pyropos*:
Unguenti ſemper vim redolentis habent.
Splendebat ſtellas velut inter Luna minores:
Vicerat et cunctas Illa Pudore pias.
Vera Dei Cultix: Iraſci Neſcia: Verax:
Aſtuta cujus Pectora fraude vacant.
Sæpius Orabat: Pſallebat Cantica ſæpe:
Quantum Divino fluxit ab Ore *Melos*!
Pectore *theſauros* Caſto Pietatis habebat:
Non tanti Auriflui eſt Omnis Arena *Tagi*.
Et Juvenis niveum vicit Candore *liguſtrum*:
Vicerat hybernas Illa decore *nives*.
Rarior *e pulchro* veniebat Corpore virtus.·
Ornabat vultus *Gratia* quæq; tuos.
Sed quæ *pulchra* fuit * Roſa tempore *marcida* facta eſt.
Et *vernæ* * *violæ* forma Decorq; cadit.
Candida * *Nix* ſubito Solis Candore *liqueſcit*:
Tempore *Matronæ ſplendida* forma perit.
Marcidus ut flos eſt, Roſeum conſervat *Odorem*:
* *Uvaq*; quæ fuerat, *Paſſula* facta manet.
" *Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad annos,*
" *Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.*
Virtutem nunquam perdit grandæva *ſenectus*·
Corpore, forma Animi, ſæpe *cadente*, viget.
" *Manibus* ergo Pijs, fortunataq; *favilla*
Lilia naſcentur.· *flore* vireſcet humus.
" O Matrona, Tibi quam molliter oſſa † jacebunt,
Dum laudes cantet *garrula* Fama tuas!
Iamq; pij Cineres *Tumulo* clauduntur & *urna*.·
Sed Mens in *Cælos* * Alitis inſtar abit.

† *Archiepiſcopo Cantudrienſi totius Angliæ Primati &c. Horat.*

* Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρὼς αὐτὸ μαραίνει. *&c. Theocritus Idyllio*, 23.

* Α σταφυλὶς σταφὶς ἐστι, *&c. Theocritus Idyllio* 27.

" *Ovid. Perſius.*

† *Quieſcent Virg.*

* *Homo pius animal alatum, Theodoretus.*

Illi

Illi *Canities*, illi * Grandæva *ſenectus*
Contigit, & *tarda* ſtamina ducta manu.
Viderat & *Natos*: ſpectaverat illa *nepotes*:
Ornabat menſam *florida* Turba tuam.
Illa quidem *Cœlis*, ſuperata Morte, triumphat:
Et micat in ſummis *Candida Diva* Polis.
Manibus ergo tuis *Elegis*, pro *ſarre*, litabo:
Atque Pii *verſus Thuris* ad inſtar erunt.

* *Octoginta quatuor Annos nata.*

EPITAPHIUM.

*T*Ingatur *lachrymis Matronæ Nobilis* urna:
Hic Loculus *tantum eſt*: Aſtra Pyropus *habet*.
Præbuit Exemplum Matronis *illa pudicis*:
Atque Pii Sexus *Gloria magna fuit*.
Pauper *habet multum defunctæ Heroidis aurum*:
† Filia *Maternæ* munera mentis *habet*.
Magnam Habitatricem jam perdidit * Aurea Quadra:
Oſſaque Defunctæ ‡ Chenia *condit humus*.

† *Comitiſſa de Sunderland.*
* *Golden Squarę.*
‡ *Chenie.*

JOS. PERKINS.

Ad Fontes Tunbrigienſes, *conſcriptus fuit hic Elegus.*